

Aethiopes, ubi nunc est regnum Opguene, ubi auri copia. Senegam regionem & fluuium maximum eiusdem nominis, cuius populus Azanegoruin gentes vocantur, subcinericij coloris sunt. Id autem ante omnia miratu dignum est, quod trans fluuium memoratum homines sunt nigerrimi, & proceræ staturæ, ac habiliissimi corporis, & omnis illic regio uiret, ac uernat pomiferis arboribus referta, ac circa fluuium contrarias uices cernes, uidelicet homines subcinericij coloris, staturæ contractiores. Hoc flumen ferunt à Nilo deriuari, easdem uices cum Nilo habens, ut ille Aegyptum, ita hic Aethiopiam reddit irriguam. Getuliam regionem Hesperos Aethiopes, prouinciam Tambutu. Ciuitates autem præcipuas Tagazam 7, 0, 15 40. Tuchororam 12, 30, 16, 0. Tambutum 15, 0, 15, 40. Aethiopia sub Aegypto, habet terminos, à septentrione Aegyptum & Marmaricam Lybiæ, ab occasu interiore Lybiam, a meridie exteriorem Aethiopiam, ab ortu Arabicum sinum, siue mare rubrum. Eius sunt regiones Pharazata regio. Nubia regnum potens, & magnum, eius populus Christianus est, nam Iacobini sunt, circumcisionem obseruant more Saracenorum, ferro in facie cremantur, quo originali peccato mundari se credunt, nec mutuo confitentur, sed Deo. Meroe regnum, quod & Saba olim dicebatur, Insula est Nili fluminis, Regnum Habesch, uel Habassiac, ubi potentissimus rex, quem nos presbiterum Iohannem dicimus, dominium obtinet, qui & Indiæ dominus dicitur. Christiani sunt Abasini, conficiunt sub utracq; specie, circumcisionem obseruant, baptisantur aqua & igne, infantibus sacramentum administrant. Seyla siue Zeyla, regnum magnum ad mare rubrum, Machometani sunt Azania regio, Melinde regio, bonorum fructuum feracissima, habet proprium regem. Quiola uel Cayla, regnum ditissimum. Cinomisera regio. Harum regionum ciuitates sunt, Beritis 60. 40. 21. 30. Cambylis ærarium 60. 0. 18. 0. Meroe 61. 30. 16. 25. Hamaharicca regalis presbyteri Iohannis, à Ptole. Auxuma ex coniectura 65. 0. 9. 10. Masta 67. 30. Australes 4. 15. Quiola, à Ptole. Rapta metropolis 76. 30. Australes 7, 30. Sabath 67. 30. 12. 30. Mōbaza, à Ptol. Tonica uel Nici emporiū 79. 0. Australes 6. 0. Melinda, à Ptole. ex coiectura A pocopa dicta 82. 30. 2. 0. Mosylum promontorium & emporium, nuuc uero Cauquin 80. 0. 9. 50. Babel Mendap. ibi sunt angustiae maris rubri, quod nunc strictum de Mecha dicunt, à Ptole. uero Dera ciuitas in monte 74. 50. 11. 0. Aethiopia omnibus his australior, à septentrione habet Lybiam internam, & Aethiopiam sub Aegypto, ab occasu Oceani occidentalem, à meridie uero Ptole. incognitam terram, ab ortu Sinum Baracum. In hac montes Lunæ sunt, ex quibus Nili paludes originem trahunt. Extremum Ptolemæo cognitum Prassum promontorium, uerum nostra ætatè tota æc portio à Portugalensibus inuenta est. Nam ad austrum protenditur ad 36 ferie gradus. In hac sunt regiones multæ, nam ad occasum Gambræ regio, in qua Zizetum reperitur, & uaria genera simiarum, gentes sunt idolatræ ac Sarcophagi. esigna, Ginoia quam Genneam dicunt, latissima sunt regna. Melli regnum & lebeorum est, ibi Rinocerotes, Tigrides ac Elephantes gignuntur. Regio magna Aethiopum, in qua Elephantes albi, etiam Rhinocerotes & Tigrides, ibi Mionetum animal, de genere Simiarum. Harum ciuitates sunt, Goia 60. 50. Australes 19. 50. Garma 57. 0. Australes 24. 0. Bali 70. 0. 21. 40. Melli 33. 0. 6. 30.

### De Insulis circa Africam,

#### C A P V T   X I I I .

24   ij      Porro